

ex ἐν ἐνός. Duo ex δύο. Tres ex τρεῖς. Quatuor ex τέταρες. Quinq; ex πέντε. Sex ex ἕξ. Septem ex ἑπτά. Octo ex ὀκτώ. Novem ex ἐννέα. Eadem est Germanicorum nominum ratio.

Ex articulis δέκα Græcis, Latinis decem est, ἑκατὸν centum. χίλια mille & millia ex Græca origine. Quidam tamen Latinam vocem faciunt ex milio legumine, quod millesimū reddat: sed repugnat quantitas. Miliū enim primā corripit, ut apud Virgiliū. Et milio venit annua cura. Sic Mantuanus. Neu milium furentur aves. Mille uero primā producit, ut Virg. Mille trahēs varios aduerso sole colores. Et Ouid. 12. Metam. Mistaq; cum veris passim commenta vagantur

Millia rumorū: confusaq; verba volutant.

Est autem hic articulus & postremus, & maximus numerorum, quem uno verbo Latini exprimere possunt, quibus decies centum denotant: estq; vel adiectivum vel substantivum. Adiectivum cum est, habet adiunctum substantivum, estq; omnis generis, & non declinatur, ut mille viri, mille mulieres, mille animalia. Græci ita χιλιοὶ proferunt. Substantivum cum est, adiecti-